



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

Ca. 15.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39463

39. *Videns Centurio quia sic clamans expirasset, ait:
Verè hic homo filius Dei erat.*

EXPONENS hæc verba Calvinus, ait non insolitum tantum vigorem qui ad mortem vsque integer perliterat, sed potius constantem in Dei nomine inuocando perseverantiam à Centurione laudatam fuisse. Vtunque hic posterior sensus minus probabilis videatur, quum hic Centurio homo gentilis & incredulus de perseverantia in Dei nomine inuocando parum sollicitus fuisse videatur, & altera expositio prior omnium fere interpretum communis sit, & literæ conformior; quando ille clamor ab Evangelista notatus non de inuocatione, sed de ipsa expiratione Christi loquatur (ait enim Marcus, *Emissa voce magna expiravit: videns autem Centurio quod sic clamans expirasset*, id est, tam firmis lateribus & tanto corporis vigore quasi adhuc integer animam posuisset) tamen huiusmodi est, ut à Caluino tanquam verior delectus, contra aliam Caluini blasphemiam circa Christi Passionem imprimis faciat. Si enim constantem in Dei nomine inuocando perseverantiam Christus tenuit, quod haud dubiè est verissimum, quomodo in verbis Christi paulo præcedentibus, *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* vox desperationis Christo elapsa est, & horrore correptus quasi Deo aduerto iam esset extitio deuotus illa verba protulit, quæ omnia & terriora Caluini Christo affingere ad illa verba super Matthæum declarauimus? Hæc ipsa Caluini confessio ad alteram illam blasphemiam eius refutandam sola sufficit. Illa quoque alia hominis impij verba, quibus ait, illa Marci verba tractans. *Pater, omnia tibi possibilia sunt, Christo in orto oranti nihil spei fuisse, ut in rebus deploratis fieri solet, ex eadem hac eius confessione luculenter refutantur.* Si enim constans in Christo erat in Dei nomine inuocando perseverantia, profectò semper erat in Christo spes firma (neque enim Dei nomen inuocat, qui non sperat) falsumque & blasphemum est, *nihil spei Christi fuisse, sicut in deploratis rebus fieri solet, quum in orto Patrem inuocaret.* Ita ad Caluini blasphemias refutandas ipse nobis Calvinus sufficit: quia aliqua interdum vera etiam mendacissimus loquitur, & suorum alioqui mendaciorum magistri mendaces parum sunt memores.

Caluini
blasphemiam ex
seipso refutata.
Ad Matt.
cap. 27.
ver. 47.